



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Corollaria præcedentis doctrinæ. c. 4.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

sententialiter à Deo pendere; & hanc rationem dependentiæ à Deo, non posse ab ea separari: quia essentielle est omni creaturæ, à Deo penderet: ac proinde hac ratione prius natura à Deo procedere, quam à secunda causa in subiecto producat. Dicunt præterea hanc, quam vocant dependentiam à Deo, innuariam semper in ipsa forma permanere, siue in subiecto producat, siue extra subiectum: ceterum habere rationem creationis solum, quando extra subiectum fit, non autem quando in subiecto producat, quia creati non solum est à Deo illo modo pendere, sed etiam alia simul actione in subiecto non produci.

Mirandum tamen non est, in rebus Theologicis, & Philosophicis quotidie novas & inauditas opiniones excogitari, si scilicet ipsa rei definitio non recte teneatur. Falsitas vero huius opinionis patet primum ex dictis: quia cum, esse formæ accidentariæ sit inesse, non potest, ut supra inferebamus, prius ordine naturæ esse producta vlllo modo, quam in subiecto, nisi quando re ipsa sine subiecto manet. Quod si prius reuera esset producta, sicut anima rationalis; in illo priori, de nihilo esset producta, & eius esse esset simpliciter esse; ac proinde crearetur, ut ex dictis patet. Deinde, si prius natura illa forma esset à Deo producta, non posset deinde à causa secunda produci, sed tantum subiecto coniungi, sicut anima rationalis: quia prius producta est, deinde in sequenti instanti naturæ non potest à secunda causa intelligi producta, sed unita materiæ per generationem: atqui forma accidentaria non solum unitur subiecto à causa secunda, sed etiam ab ea secundum suam essentiam, producit: ignis enim non tantum unit calorem ligno, sed in ligno ipsum producit. Postremo ex hac opinione sequeretur, actiones nostræ voluntatis, quia creaturæ sunt, à solo Deo prius produci, quam à nobis: ex quo efficeretur, nullam in nobis manere libertatem, ut patet ex illis, quæ diximus supra disp. 99. Quod vero aduersarij dicebant, omnem rem, præter Deum, pendere essentialiter à Deo, sic est intelligendum, ut non possit esse, nisi fiat à Deo aliquo modo, vel per creationem, ut si forma fiat extra subiectum; vel natura sua à subiecto non pendeat; vel saltem per generationem, quando in subiecto producat, à quo suapte natura pendet, siue hoc modo à solo Deo producat, ut gratia; siue cum secunda causa, ut aliæ formæ accidentariæ naturales.

Ex dictis in hoc capite sequitur, destructionem formæ accidentariæ in subiecto non esse annihilationem, sed corruptionem; etiam si aliqua à solo Deo fieri possit, quæ sit destructio gratiæ. Ratio vero est: quia sicut productio illius non est creatio, eo quod non est productio entis absolute, sed talis entis: ita etiam destructio illius non est annihilatio: quia non definit talis forma in nihilum simpliciter, sed in tale non esse: siquidem manet subiectum sub tali non esse. Quocirca mihi non probatur sententia Bonau. in 2. d. 26. art. 1. q. 4. Riccardi art. etiam yn. q. 3. Scoti in 4. 16. q. 2. 5. Respondeo, in tertia ratione prima conclus. Gabr. in 1. d. 1. 7. qu. 4. art. 3. dub. 3. propof. 3. qui docent, destructionem gratiæ esse annihilationem. Quorum sententia eo etiam impugnari potest, quia ut probabimus 1. 2. 9. 7. 1. artic. 4. homo per peccatum mortale attingit ut causa physica efficiens destructionem gratiæ: nulla autem causa creata hoc modo attingere po-

test alicuius formæ annihilationem.

CAPVT IV.

Corollaria superioris doctrinæ.

Qua vero ratione dicatur creatio esse tantum substantientium, ut affirmat S. Doctor in conclusionem huius art. ex dictis licet colligere. Primo quidem hoc non debet intelligi ea ratione, qua vulgo dici consuevit, actiones & passionem esse compositum, iam enim supra disp. 163. c. 7. ostendimus non esse verum, nec secundum mentem Arist. sed actiones, & passionem esse quoque naturarum, ita ut illæ & fieri, & operari dicantur, sicut dici solet, ut quod. Secundo non solum compositum, sed etiam simplicium potest esse creatio, ut expressè notauit S. Th. nam anima rationalis, & Angelus creantur, & tamen non sunt compositi, est tamen propria substantientium, siue substantiarum, siue formarum. Dico autem formas substantientes, id est, quæ actu per se sunt, & substantiæ (nam anima rationalis in corpore non est per se, sed in toto, & ita non subsistit: esse enim in alio, & subsistere aut per se esse secum pugnant) sed dico subsistentes, quæ magis sunt per se esse. Quod enim quidam dicunt, animam rationalem per se subsistere in corpore, quia habet propriam existentiam distinctam à tota creaturæ, verò formas non subsistere in materia, quia non habent, esse proprium, sed existentia totius existunt, falsum est. Omnis namque forma, cum habeat propriam entitatem actu, habet etiam propriam existentiam: hæc enim nihil est, quæ existat actu, ergo animam rationalem ex seipso naturam esse subsistere, etiam si actu in materia subsistit, ut creati dicatur, quia eius esse, est simpliciter esse, eo, quod ex se ipsa sine alio existere potest, & ita non fit ex materia, quia secundum propriam suam substantiam ex illa non pendet, nec ex eius potentia educitur. Solum educitur de potentia materiæ, & ab ea pender esse hominis, quod ex anima coniuncta materiæ procedit.

Accedit, quod humanitas Christi non subsistit per se, sed in verbo, nihilominus potius debet dici, tota tunc primum creati, ut assumere, cum genita fuit ex visceribus virginis, imò & quædam ratione relata ad Deum, creati dicuntur, ut infra de aliis omnibus rebus explicabitur. Creatio ergo non tantum est substantientium actu per se, sed etiam, quæ suapte natura sine alio subsistere possunt: quia esse talium rerum est esse simpliciter, non autem inesse, aut alterius esse.

Tertio in qualibet re mundi composita ex materia & forma possumus considerare compositionem, & esse, quod ex partibus resultat, & totum compositum secundum quamlibet partem: singularium autem partium sunt singulæ productiones, & altera totius; quia ex compositione resultat. Nunc autem de composito dicimus, secundum rationem illam compositi, quæ à suis partibus distinguitur, nullum compositum posse creati. Hanc doctrinam explicio ex natura & definitione creationis: est enim productio alicuius rei ex nihilo. Deinde ut disp. 137. c. 3. exposuimus partem refert, si illud, nihil, duratione præcedit, vel solo ordine naturæ sit prius, quæ de causa conuersionis rei secundum se totam, est vera creatio, & productio ex nihilo, quod duratione præcedit, sed quod ex se esset, si res non conueneretur, sed ex pacto æterna emanatio creatoris, & rei creatæ, & productio de nihilo; quia dum secundum se

Bonauent.
Ricard.
Gabriel.

se totam fieret, ex nihilo, aut non de aliquo fieret. Contra etiam ut aliquid fieri dicatur ex aliquo, nō oportet, ut illud, ex quo fit, tempore præcedat, sicut optime notauit *Gal. in 2. disp. 1. q. 4. art. 1.*

Giriel

Hinc colligo compositum, secundum rationem compositi, & vnionis, nunquam creati, etiam si secundum se totum omnino incipiat. Et de conseruatione eodem modo philosophandum est: ita ut conseruatio illius vnionis, & compositi, ut compositum est, prout est quid distinctum à partibus, non sit continuata creatio. Ratio est, quia omne esse, quod ex aliquo est, & constituitur, dicitur etiam fieri ex aliquo: omne autē, quod fit ex aliquo, vel tanquam ex subiecto, vel tanquam ex principio constituitur quod solum natura prius est, non dicitur creati: quia creatio est ex nihilo: nihil autem excludit omne subiectum, vel etiam principium constituens, quod saltem natura prius sit: ergo nec compositio illa, vel compositum quatenus compositum est, creati dicitur: sed ex aliquo produci. Quia etiam ratione quando Deus concurret cum homine ad generandum hominem, dicitur ipsum generare; non quia Deus supponat materiam, & formam, sicut homo generans utrumque: supponit: nam Deus de nihilo conseruat materiam, & animam de nihilo facit: sed quia vnio illa, quæ fit generatione, ex aliquo fit: sicut etiam ex aliquo constituitur. Hoc autem non tantum verum est in eo momento temporis, quo incipit homo, sed toto etiam tempore quo à Deo conseruatur. Conseruatio ergo illa, quæ à Deo continuo sustentatur vnio illa, non est vera creatio: id quod de conseruatione cuiusvis alterius compositi dicendum est. Et eadem ratione, si homo à solo Deo produceretur, nulla materia & forma, prius duratione supposita, non crearetur compositum, quia compositum est, & secundum vnionem illam partium, quam diximus: id quod de omnibus compositis eodem modo, & ob eandem rationem dicendum est.

18

Quarto si loquamur de partibus componentibus, aliter philosophari debemus. De anima rationali iā probauimus c. præc. semper creati: alias vero formas substantiales & accidentarias nō creati nisi quando separata à subiecto, vel à materia producuntur, eo quod subiectum, aut materia sit causa substantiæ ipsarū. Cum enim omnes formæ substantiales sint, media materia, ut subiecto, sustentante, iam ex aliquo dicuntur esse. Quod autem ex aliquo est, ex aliquo etiam fieri necesse est: ac proinde dicimus, formas omnes, præter rationalem, educi de potētia materiæ, aut subiecti: quia ex illa producuntur: ex qua etiam esse dicuntur. Educi enim de potētia illius, nihil aliud est, quam ex illa quatenus potentia est, fieri & esse.

At de materia opposito certe modo sentendum est. Illa enim secundum suam entitatem naturalem & partialem, quam habet, nō potest alio modo produci, quā creatione: nam quamuis naturaliter sine aliqua forma nūquam existat, à nulla tamen forma pender secundum suam entitatem. Primum quia impossibile esset, à forma pendere, & mutata forma substantialiter, ipsam non mutari: diuersa enim forma diuersum effectum formale efficit. Tum etiam quodcumque agens naturale introducens formam attingeret etiam conseruationem, aut productionem substantialem ipsius materiæ: id enim, quod aliquam formam producit, nō tantum facit, illam esse, sed et-

iam illud, quod per illam est; nam eadē causa producit formam, & effectum formalem illius: esse autem primum aut secundarium effectum partium refert: omnes namque effectus, quos attingit formam genere causæ formalis, attingere etiam debet causa efficiens illius formæ, in suo genere. Adhæc, si Deus conseruat materiam media forma, tanquam principio, & materia ex illa est: non creabitur à Deo, quoties coniuncta alicui formæ producitur; & ita nullum compositum præter hominem dicitur creati. Primum non secundum rationem compositi, nec secundum formam, ut supra probatum est. Deinde non secundum materiam: quia ex forma fieret, ut proxime dicebamus: ergo nullo modo crearetur. Neque enim secundum se totum diceretur creati id, quod nec secundum aliquam partem sui, nec secundum rationem compositionis crearetur: eo quod in vno composito non est alia productio, quam singularem partium per se, quæ natura sua præcedunt vnionē, & ipsius vnionis, aut compositionis. Nunē autem suppono, materiam habere aliquā existentiam, quam vocant entitativam, nec esse puram potētiā in genere entis: quod iam probabilius videtur non paucis. Et hac hypothesi præmissa, ea, quæ proxime dicimus, intelligenda sunt.

Quinto, hinc patet, quare anima rationalis, & materia à solo Deo, at formæ substantiales, & accidentarias, & quoduis compositum in ratione compositi, à causis etiam creatis produci possint. Nam cum materia sola creatione producatur secundum suam entitatem propriam, & anima rationalis similiter, ut probatum manet, à nulla creatura fieri potest: soli enim Dei est, creare, ut seq. disp. monstrabitur: compositum vero ex materia, & qualibet forma, secundum substantiam compositi, producitur à causa creata, quia secundum illam non creatur. Dixi secundum substantiam, quia tali, aut tali modo à creata etiam causa fieri neque, nempe semel: ut autem dicamus, compositum in ratione compositi, à Deo non creati, sufficienter ex eo probatur quod compositum illud, in ratione compositi, à creatura fieri possit, excipio formas accidentarias, habitus scilicet supernaturales, qui etiam si non creentur in anima, sed educantur de potētia illius naturæ, nihilominus à causa creata non possunt produci: quia altioris ordinis sunt. Neque enim cōtendimus, omnia quæ non creantur, à causa creata fieri posse, sed contra, omnia quæ secundum substantiam à causa creata producuntur, secundum substantiam à Deo non creati.

20.

Cur anima rationalis, & materia à solo Deo, alia vero forma composita à creatura produci possint.

21.

Sexto ex dictis inferitur, quo sensu S. Thomas dixerit, creationem tantum esse subsistentium. Aut enim est earum formarum, quæ per se subsistere possunt suapte natura, ut est anima rationalis, aut formarum simplicium, quæ naturaliter semper subsistunt, aut compositorum ex materia, & forma: nihil autem obstat, si ratione vnionis hypostaticæ cum aliena persona, nō subsistant per se, quo minus creati dicantur à Deo secundum totum esse, ut superius explicatum est. In compositis autem ex materia, & forma obseruandum est, creationem illis conuenire non secundum rationem compositionis, nec secundum rationem formæ, (nisi sit anima rationalis) sed secundum materiam, quæ cum sit primū fundamentum, & quasi hypostasis, & ideo ex nullo sit, ut paulo ante dicebamus:

Quo sensu S. Thomas dicit creationem esse tantum subsistentium.

Hh 4 à solē

à solo Deo creatur, & quadam creatione continuata conseruatur: & ratione illius, creati etiam est subsistentium. Conuenit etiam homini creati ratione animæ rationalis. Quare si de compositis loquamur collectiue, comprehendendo singulas eorum partes, omnia à Deo de facto creantur, creatione continuata, qua ab initio materiam communem creauit.

22. Vltimo addendum est, eodem protus modo materiam primam à Deo creatam fuisse ab initio, & continuata creatione nunc conseruari ex nihilo, & non ex aliquo, sicut animam: ita tamen, ut licet nullo indigeat, tãquam causâ formali, aut materiali suæ entitatis, sed sola Dei efficientis virtute, sicut anima rationalis, sit tamen inter ipsam, & animam rationalem differentia, quod hæc, seruato ordine causarum naturalium, nequit produci, nisi coniuncta corpori: nam cum natura sua sit pars hominis, natura sua postulat produci solum ad constitutionem illius. Præterea sine corpore, seruato etiam eodem ordine, conseruatur: quia cum ipsa sit immortalis, & multæ causæ naturales separationem illius operentur, illa ipsius substantia, per introductionem oppositæ formæ, illa per se existere potest, & naturaliter à Deo conseruatur: at vero materia ita comparatur cum forma, ut neque sine illa naturaliter producat, neque sine aliqua forma Deo conseruetur, etiam si nulla forma sit causâ illo modo entitatis substantialis ipsius materiæ. Primum quidem, quia, cum sit supapte natura pars, ad cõstitutionem tantum postulat produci, & ita non sine forma. Deinde causæ creatæ solum attingunt inductionem formæ oppositæ, quæ expellitur, quæ antea erat in materia, aut corrumpitur: cumque ab illa non pendeat entitas materiæ talis inductio non solum non corrumpit materiam, sed potius postulat, à Deo continuo conseruari, ut recipiat formam, quæ tunc inducitur. Quando ergo loquimur de potentia absoluta Dei, & ordinatæ; & dicimus materiam potentia Dei absoluta conseruari posse sine forma, non autem potentia Dei ordinatæ; intelligimus potentiam ordinatam, & absolutam duobus modis, iuxta notata supra disp. 16. ca. 1. dicitur enim absoluta secundum S. Th. quæ soluta est à decreto suæ voluntatis; ordinata vero, quæ voluntate determinata est, & quasi alligata. Sic ergo absoluta potentia potest materia conseruari sine forma, & anima rationalis creati sine materia; non tamen potentia ordinatæ: quia intelligimus, Deum ita stauisse apud se, quamuis hoc non sit nobis reuelatione aliqua certum. Alio modo secundum sententiam Scoti dicitur absoluta potentia, quæ à lege promulgata exterius libera est: contra vero ordinatæ, quæ lege sua alligatur, & determinatur. Hic autem nomine legis intelligere possumus ordinem causarum, & rerum naturalem, quem si debet seruire potentia Dei, ei quæ alligari, nec materiam sine forma conseruare potest, neque animam creare nisi in corpore, ea ratione, quæ explicatur est. At absoluta potentia vtrumque potest. Id tamen certum est, semper materiam proxime à solo Deo annihilari, sicut ab eo solo per creationem produci potest: & de anima rationali eodem modo.

AD quintum sic proceditur. Videtur, quod non solus Dei sit creator. Quia secundum Philosophum perfectum est quod potest sibi simile facere. Sed creaturæ immateriales sunt perfectiores creaturis materialibus, quæ faciunt sibi simile: ignis enim generat ignem, & homo generat hominem. Ergo substantia immaterialis potest facere substantiam sibi similem. Sed substantia immaterialis non potest fieri nisi per creationem, cum non habeat materiam in ex qua fiat. Ergo aliqua creatura potest creare.

2. Præterea. Quanto maior est resistentia ex parte facti, tanto maior virtus requiritur in faciente. Sed plus resistit cõtrarium quam nihil. Ergo maioris virtutis est aliquid facere ex cõtrario (quod tamen creatura facit) quam aliquid facere ex nihilo. Multo magis igitur creatura hoc facere potest.

3. Præterea. Virtus facientis consideratur secundum mensuram eius quod facit. Sed ens creatum est finitum, ut supra probatum est, cum de Dei infinitate ageretur. Ergo ad producendum per creationem aliquid creatum non requiritur nisi virtus finita. Sed habere virtutem finitam non est contra rationem creaturæ. Ergo non est impossibile creaturam creare.

Sed contra est, quod Augustinus dicit in 3. de Trinit. quod neque boni, neque mali Angeli possunt esse creatores alius rei. Multo minus igitur alia creatura.

Respondeo dicendum, quod satis apparet in primo aspectu secundum præmissa, quod creare nō potest esse propria actio nisi solius Dei. Oportet enim vniuersaliores effectus in vniuersaliores & priores causas reducere. Inter omnes autem effectus vniuersalissimus est ipsum esse. Vnde oportet quod sit proprius effectus primæ & vniuersalissimæ causæ, quæ est Deus. Vnde etiam dicitur in lib. de causis, quod neque intelligentia, vel anima nobilis dat esse nisi in quantum operatur operatione diuina. Producere autem esse absolute, non in quantum est hoc vel tale, pertinet ad rationem creationis. Vnde manifestum est quod creatio est propria actio ipsius Dei. Contingit autem quod aliquid participet actionem propriam alicuius alterius, non virtute propria, sed instrumentaliter, in quantum agit in virtute alterius: sicut aer per virtutem ignis habet calefacere & ignire. Et secundum hoc aliqui opinati sunt, quod licet creatio sit propria

propria actio vniuersalis causæ, tamen aliqua inferiorum causarum inquatum agit in virtute primæ causæ potest creare. Et sic posuit Auicenna, quod prima substantia separata creata à Deo, creat aliam post se, & substantiam orbis, & animam eius, & quod substantia orbis creat materiam inferiorum corporum. Et secundum hunc etiam modum Magister dicit in 5. dist. quarti sententiarum, quod Deus potest creaturæ communicare potentiam creandi, vt creet per ministerium, nō propria autoritate. Sed hoc esse non potest: quia causa secunda instrumentalis non participat actionem causæ superioris, nisi inquatum per alium sibi proprium dispositiue operatur ad effectum principalis agentis. Si igitur nihil ibi ageret secundum illud quod est sibi proprium, frustra adhiberetur ad agendum. Nec oportere esse determinata instrumenta determinatarum actionum. Sic enim videmus, quod securis scindendo lignum quod habet ex proprietate suæ formæ, producit scami formam, quæ est effectus proprius principalis agentis. Illud autem quod est proprius effectus Dei creantis, est illud quod præsupponitur omnibus aliis, scilicet, esse absolute. Vnde non potest aliquid operari dispositiue, & instrumentaliter ad hunc effectum, cum creatio non sit ex aliquo præsupposito: quod possit disponi per actionem instrumentalis agentis. Sic igitur impossibile est, quod aliqui creature conueniat creare, neque virtute propria, neque instrumentaliter, siue per ministerium. Et hoc præcipue incoueniens est dici de aliquo corpore quod creet, cum nullum corpus agat, nisi tangendo vel mouendo. Et sic requirit sua actione aliquid præexistens quod possit tangi & moueri. Quod est contra rationem creationis.

Ad primum ergo dicendum, quod aliquid perfectum participans aliquam naturam facit sibi simile, non quidem producendo absolute illam naturam, sed applicando eam ad aliquid. Non enim hic homo potest esse causa naturæ humanæ absolute, quia sic esset causa sui ipsius: sed est causa quod natura humana sit in hoc homine generato. Et sic præsupponit in sua actione determinatam materiam, per quam est hic homo. Sed sicut hic homo participat humanam naturam, ita quodcunque ens creatū participat, vt ita dixerim, naturam essendi: quia solus Deus est suum esse, vt supra dictum est. Nullum igitur ens creatum potest producere aliquid ens absolute, nisi inquatum esse

causat in hoc. Et sic oportet quod præintelligatur id per quod aliquid est hoc, actioni, qua facit sibi simile: in substantia autem immateriali nō potest præintelligi aliquid, per quod sit hæc: quia est hæc per suā formam per quā habet esse, cum sine formæ subsistentes: igitur substantia immaterialis non potest producere aliam substantiā immaterialem sibi similem; quantum ad esse eius, sed quantum ad perfectionem aliquam superadditam: sicut si dicamus, quod superior angelus illuminat inferiorem, vt Dion. dicit. Secundum quem modum etiā in celestibus est paternitas, vt ex verbis Apostoli patet, Eph. 3. Ex quo omnis paternitas in cælo & in terra nominatur. Et ex hoc etiam euidenter apparet, quod nullum ens creatum potest causare aliquid, nisi præsupposito aliquo. Quod repugnat rationi creationis.

Ad secundum dicendum, quod ex contrariis fit aliquid per accidens, vt dicitur in 1. Phyl. Per se autem fit aliquid ex subiecto quod est in potentia. Contrarium igitur resistit agenti, in quantum impedit potentiam ab actu in quem intendit reducere materiam agens. Sicut ignis intendit reducere aquā in actum sibi similem, sed impeditur per formam & dispositiones contrarias: quibus quasi ligatur potentia ne reducantur in actum. Et quanto magis fuerit potentia ligata, tanto requiritur maior virtus in agente ad reducendā materiam in actum. Vnde multo maior potentia requiritur in agente si nulla potentia præexistat. Sic ergo patet quod multo maioris virtutis est facere aliquid ex nihilo quam ex contrario.

Ad tertium dicendum, quod virtus facientis non solū consideratur ex substantia facti, sed etiam ex modo faciendi. Maior enim calor nō solum magis, sed etiam citius calefacit. Quamuis igitur creare aliquem effectum finitum non demōstret potentiam infinitam, tamen creare ipsum ex nihilo demonstrat potentiam infinitam. Quod ex prædictis patet. Si enim tanto maior virtus requiritur in agente, quanto potentia est magis remota ab actu, oportet quod virtus agentis ex nulla præsupposito potentia quale agens est creas, sit infinita, quia nulla proportio est nullius potentie ad aliquam potentiam, quam præsupponit virtus agentis naturalis, sicut non entis ad ens. Et quia nulla creatura habet simpliciter potentiam infinitam, sicut neque esse infinitum, vt supra probatum est, relinquatur quod nulla creatura possit creare.

CONCLVSIO

Ca. 4. q. 10.
ca. 6. Hier. 2.
media

Lib. 1. Physic.
sec. 43. C.
seq. 10. 8.

in solut. ad
arg. 2. præ.

Quæst. 1. art. 2.

